

Cambridge University Press
978-1-108-00636-1 - Grammatici Latini, Volume 1
Edited by Heinrich Keil
Frontmatter
[More information](#)

CAMBRIDGE LIBRARY COLLECTION

Books of enduring scholarly value

Linguistics

From the earliest surviving glossaries and translations to nineteenth-century academic philology and the growth of linguistics during the twentieth century, language has been the subject both of scholarly investigation and of practical handbooks produced for the upwardly mobile, as well as for travellers, traders, soldiers, missionaries and explorers. This collection will reissue a wide range of texts pertaining to language, including the work of Latin grammarians, groundbreaking early publications in Indo-European studies, accounts of indigenous languages, many of them now extinct, and texts by pioneering figures such as Jacob Grimm, Wilhelm von Humboldt and Ferdinand de Saussure.

Grammatici Latini

The eight volumes of the Grammatici Latini, published by Teubner between 1855 and 1880 under the general editorship of Heinrich Keil (1822–94), are an outstanding monument of nineteenth-century German philology. Keil published editions of Propertius and of Pliny's letters before turning to the works of the Latin grammarians, whose attempts to define and describe their own language have influenced the way in which modern researchers in language and linguistics have approached their discipline. Keil's only predecessor in this field was Helias Putsch, who in 1605 published *Grammaticae Latinae auctores antiqui*; Keil uses the same order in which to present his versions of the texts. The first volume contains the work of Charisius and Diomedes.

Cambridge University Press
978-1-108-00636-1 - Grammatici Latini, Volume 1
Edited by Heinrich Keil
Frontmatter
[More information](#)

Cambridge University Press has long been a pioneer in the reissuing of out-of-print titles from its own backlist, producing digital reprints of books that are still sought after by scholars and students but could not be reprinted economically using traditional technology. The Cambridge Library Collection extends this activity to a wider range of books which are still of importance to researchers and professionals, either for the source material they contain, or as landmarks in the history of their academic discipline.

Drawing from the world-renowned collections in the Cambridge University Library, and guided by the advice of experts in each subject area, Cambridge University Press is using state-of-the-art scanning machines in its own Printing House to capture the content of each book selected for inclusion. The files are processed to give a consistently clear, crisp image, and the books finished to the high quality standard for which the Press is recognised around the world. The latest print-on-demand technology ensures that the books will remain available indefinitely, and that orders for single or multiple copies can quickly be supplied.

The Cambridge Library Collection will bring back to life books of enduring scholarly value (including out-of-copyright works originally issued by other publishers) across a wide range of disciplines in the humanities and social sciences and in science and technology.

Cambridge University Press
978-1-108-00636-1 - Grammatici Latini, Volume 1
Edited by Heinrich Keil
Frontmatter
[More information](#)

Grammatici Latini

VOLUME 1: FLAVII SOSIPATRI CHARISII
ARTIS GRAMMATICAE LIBRI V, DIOMEDIS
ARTIS GRAMMATICAE LIBRI III, EX
CHARISII ARTE GRAMMATICA EXCERPTA

EDITED BY HEINRICH KEIL



CAMBRIDGE
UNIVERSITY PRESS

Cambridge University Press
978-1-108-00636-1 - Grammatici Latini, Volume 1
Edited by Heinrich Keil
Frontmatter
[More information](#)

CAMBRIDGE UNIVERSITY PRESS

Cambridge, New York, Melbourne, Madrid, Cape Town, Singapore,
São Paulo, Delhi, Dubai, Tokyo

Published in the United States of America by Cambridge University Press, New York

www.cambridge.org

Information on this title: www.cambridge.org/9781108006361

© in this compilation Cambridge University Press 2009

This edition first published 1857
This digitally printed version 2009

ISBN 978-1-108-00636-1 Paperback

This book reproduces the text of the original edition. The content and language reflect the beliefs, practices and terminology of their time, and have not been updated.

Cambridge University Press wishes to make clear that the book, unless originally published by Cambridge, is not being republished by, in association or collaboration with, or with the endorsement or approval of, the original publisher or its successors in title.

Cambridge University Press
978-1-108-00636-1 - Grammatici Latini, Volume 1
Edited by Heinrich Keil
Frontmatter
[More information](#)

GRAMMATICI LATINI

EX RECENSIONE

HENRICI KEILII

VOL. I

FLAVII SOSIPATRI CHARISII

ARTIS GRAMMATICAE LIBRI V

DIOMEDIS

ARTIS GRAMMATICAE LIBRI III

EX CHARISII ARTE GRAMMATICA EXCERPTA



LIPSIÆ

IN AEDIBVS B. G. TEVBNERI

A. MDCCCLVII.

FLAVII SOSIPATRI CHARISII

ARTIS GRAMMATICAE LIBRI V

DIOMEDIS

ARTIS GRAMMATICAE LIBRI III

EX CHARISII ARTE GRAMMATICA
EXCERPTA

EX RECENSIONE

HENRICI KEILII



LIPSIAE

IN AEDIBVS B. G. TEVBNERI

A. MDCCCLVII.

Cambridge University Press
978-1-108-00636-1 - Grammatici Latini, Volume 1
Edited by Heinrich Keil
Frontmatter
[More information](#)

FRIDERICO RITSCHelio

PRAECEPTORI SVO

D.

HENRICVS KEIL

PRAEFATIO

Charisii artem grammaticam edidi e libro manu scripto qui Neapoli inter codices bibliothecae Borbonicae est IV A 8. is codex in membranis formae oblongae, quam vulgo in folio minore dicimus, vel ineunte octavo saeculo vel exeunte septimo Bobii scriptus est scripturae genere eo quod olim Longobardicum dicere solebant, nunc fere Merovingicum cursivum vel Anglosaxonicum technici appellant. Bobii autem olim fuisse librum cum ea quae in schedae tricesimae octavae margine summo manu recentiore adscripta sunt docent, ‘liber sancti Columbani’, tum ex indice intellegitur codicum Bobiensium a Muratorio antiq. Ital. III p. 817 sqq. edito saeculo decimo, ut illi videbatur, scripto, in quo p. 821 Neapolitanus codex indicatus est ita, ‘liber Sosipatri I. in quo continetur Liber Differentiarum Plinii’. eodem pertinere possunt haec quamvis minus accurate indicata in ‘inventario librorum monasterii S. Columbani de Bobio, quod renovatum fuit in 1461’, quod Amadeus Peyron post Ciceronis orationum pro Scauro etc. fragmenta edidit, p. 45 cod. 165 ‘de subtilitatibus grammaticalium et metrorum compositione. Quaedam de poetis. Cronica quedam brevis de imperatoribus romanorum. Gesta summorum pontificum incompleta. in littera longobarda obscura et difficili ad legendum’. aliquot annis autem postquam haec scripta sunt codex e Bobiensi bibliotheca ablati et Iani Parrhasii Cosentini factus est. quod quo tempore quoque casu factum sit quamquam non reperio a quoquam memoriae traditum esse, tamen, quoniam de libris Bobiensibus quos olim Parrhasius possidebat saepius mihi dicendum esse video, quae ea de re explorata sunt hoc loco exponam. primum igitur Georgium Merulam, qui iussu Ludovici Mariae Sfortiae ducis Mediolanensis anno 1493 Bobium profectus est, bibliothecae Bobiensis famam inter Italos suscitavisse constat: cf. Sax. histor. typographico-litter. Mediol. p. CC Peyron de bibl. Bob. comment. p. XVIII sqq. eo auctore cum ibi conplures libri grammaticorum Latinorum qui antea ignoti erant inventi essent, eorum librorum pars Mediola-

num translata est. cuius rei testes habemus locupletissimos duas editiones e libris Bobiensibus tum Mediolani expressas, alteram Terentiani Mauri a. 1497 a Georgio Galbiato, alteram Probi, Maximi Victorini aliorumque grammaticorum a. 1504 a Parrhasio factam. et Terentiani quidem exemplari praeter epistolam editoris, qua Bobii in coenobio divi Columbani multa nobilium scriptorum volumina a se ex carcere perpetuo et tenebris in lucem educta et ad vitam revocata esse scribit, additae sunt publicae litterae Sfortiae, quibus cavet ne quis grammaticos a Galbiato, Merulae amanuensi, inventos atque transcriptos inprimeret. quorum scriptorum nomina index litteris Sfortiae subiectus exhibet ita comprehensos, ‘Terentianum de metris et syllabis Horatii, Fortunatianum de carminibus Horatii, Velium Longum de orthographia, Adamantium de orthographia, Catholica Probi, Cornelii Frontonis elegantias’. De Probi autem libris Parrhasius in epistula ad M. Antonium Cusanum data ‘ca autem opera’ inquit ‘sexcentis et amplius abhinc annis in altissimo pulvere iacuerunt incognita, donec a situ Georgius primum Merula vindicavit in usum tantum suum. mox eo defuncto unicum quod extabat exemplar emptum est auxilio Patris Amplissimi Stephani Poncherii Luteciae Parisiorum Pontificis, indulgentissimique patroni mei. — quare nos iisdem, quibus antea Merula vestigiis ad interceptae praedae cubile deducti, libros actate iam putres excripsimus, incredibile quanto labore, propter obsoletas veterum litterarum notas, et iam temporum iniuria vanescentium’. unde iam certo adparet non apographa solum librorum sed etiam ipsas membranas Mediolanum adlatas esse. aliam autem librorum Bobiensium partem Romam travectam esse auctor est Raphael Volaterranus, qui in descriptione coenobii Bobiensis commentar. urban. l. IV f. LVI ed. Roman. a. 1506 enumeratis libris qui ibi anno 1493 reperti essent ‘quorum bona pars’ inquit ‘his annis proximis a meo Munice Thoma Phaetro bonarum artium professore est aduecta in urbem’. atque hoc ipso tempore cum Bobienses libri distrahi coepti sunt Ianus Parrhasius exul Mediolanum venit, ubi octo annos commorabatur ab anno 1499, ut videtur, usque ad annum 1507. deinde per paucos annos Vicetiae Patavii Venetiis vixit; anno 1510 demum Neapolim, inde Cosentiam rediit: cf. C. Ianelli de vita et scriptis Auli Iani Parrhasii p. 35 sqq. multos Latinorum scriptorum codices vir antiquis scriptoribus emendandis et libris manu scriptis excutiendis in primis deditus tum cum in ea regione Italiae versabatur pretio sibi parabat. itaque illa opportunitate usus hoc potissimum tempore et alios codices Bobienses et ipsum Charisii codicem sibi parasse eosque in patriam secum abstulisse videtur. praeterca cum Thoma Phaetro, a quo libros Bobienses Romanam ablatos esse diximus, familiariter uteretur Parrhasius, fieri potuit ut ex his quoque libris vel tum cum per duos fere annos,

PRAEFATIO

IX

priusquam Mediolanum proficisceretur, Romae versabatur, vel cum a. 1514 publice accitus ibi per aliquot annos litteras docebat, quo tempore Phaedrus mortuus est a. 1516, quidam ad Parrhasium pervenirent. et Charisii quidem librum et ipse Parrhasius saepius usurpavit in quaesitis per epistulam et eo praebente Ioannes Pierius Valerianus in castigationibus in Vergilium a. 1521 Romae editis multa inde attulit: cf. castig. in Verg. Aen. II 90. mortuus est Parrhasius circa annum 1520. libros autem legaverat familiari suo atque discipulo Antonio Seripando, qui cum moreretur, heredem reliquit fratrem Hieronymum. is porro hac ipsa hereditate largissima motus in monasterio S. Ioannis in Carbonaria, quod erat Neapoli ordinis Augustinianorum, cuius ordinis ipse praefectus erat, bibliotheca condita anno 1550 libros conlocavit: cf. Andres. anecd. Graec. et Latin. I p. XXX sqq. A. Ianelli praef. in Cataldi Ianellii librum de vita Parrhasii p. VII sqq. eius autem bibliothecae codices, qui quidem post varios casus, quos narraverunt Andresius et Ianellius l. c., reliqui erant, anno 1799 in regiam bibliothecam Borbonicam translati sunt. atque in iis fuit Charisii codex.

Sed cum a Cataldo Ianellio in catalogo bibliothecae Latinae veteris et classicae manuscriptae quae in regio Neapolitano museo Borbonico adservatur p. 5 sqq. Charisii codicem non eo studio quod huius editionis rationes postulant descriptum esse videam, de ea quidem parte quae ad grammaticos pertinet accuratius exponere visum est. nam in fine codicis unus membranarum quaternio adiectus est a reliquo libri argumento alienus, in quo vitae pontificum eodem tempore scriptae sunt, de quibus diligenter disputavit G. H. Pertz in archiv. societ. hist. Germ. antiq. V p. 70 sqq. de iis igitur non magis hic dicendi locus est quam de fragmentis digestorum et Lucani et Gargilii Martialis quae in chartis delicticiis latent, de quibus fragmentis post Pertzium dixerunt E. T. Gauppius in commentatione de quattuor foliis antiquissimi alicuius digestorum codicis rescripti Neapoli nuper reperti Vratislaviae a. 1524 edita et A. Maius class. auct. I p. 387. ea autem codicis pars de qua dicturus sum primo loco habet tres membranarum quaterniones, deinde undecim schedas una conpage iunctas, denique duo membranarum paria separatim posita, qui est numerus schedarum triginta novem. scriptura librarius usus est admodum minuta eaque permultis scribendi compendiis referta et ita omnino rem gessit ut membranarum parcissimum fuisse hominem videas. paginis enim bifariam divisus in forma membranarum non ita magna plus quinquageni, interdum etiam septuageni versus in dimidia parte paginae vel columna quam vulgo dicunt scripti sunt. praeterea, siquid spatii in fine versuum relictum erat, id quod saepe accidit in argumento propter rerum varietatem crebris versuum initiis distincto, eo ita usus est librarius ut duabus lineolis

PRAEFATIO

interpositis post finem sequentis versus ibi continuaret scripturam. continent autem primae schedae viginti quattuor, quas tribus quaternionibus dispositas esse dixi, Charisii libros tres et priorem partem quarti usque ad ea quae edita sunt p. 287. sed eae paucis exceptis omnes lacunis in marginibus membranarum factis graviter corruptae sunt. nam cum in prima codicis scheda et in secunda humore forte contracto externi membranarum margines prorsus deleti sint, tum ad reliquas schedas ita haec labes pertinuit ut in media fere regione marginum qui in latere libri longiore extrorsum spectant vel membranae tenues et vetustate conlapsae corroderentur vel scriptura pallida et subrufa omnino evanesceret. accedunt aliae subinde lacunae, quibus in inferiore maxime membranarum regione similiter margines corrupti sunt. quibus rebus factum est ut in plurimis membranarum de binis versuum commatibus quae exteriorem partem membranarum occupant in altera pagina exitus, in altera initia multorum versuum perirent, in quibusdam etiam aliis locis, ut casu iactura membranarum accidit, scriptura deficeret, paucae, in quibus vel scriptura longius a marginibus remota erat vel minus late lacuna pertinebat, omni labe vacarent. praeterea vicesima quarta scheda, quamquam incolumis fere servata est, tamen margines ita litteris oppletos habet ut schedis artissime conligatis in ultima pagina in omnibus fere versibus extremae litterae non adpareant. sequitur in codice undecim schedarum fasciculus, cuius satis diversa ab iis quae praecedunt natura est. nam ut ipsae membranae alio fere habitu, partim etiam minores quam reliquae neque ulla lacuna confectae sunt, ita scriptura conpluribus versiculorum commatibus distincta eandem quidem manum, diversam tamen speciem praebet. scriptae autem in iis sunt variarum dictionum formulae ordine litterarum dispositae, quas lexica vel indices Ianellius dicit. quarum rerum quia nihil una cum Charisio editum est, indicem subieciimus. sunt autem haec: 25 *incipit de latinitate. Ardua res. anima tua quod cupit. antiquae vetustatis instar — timet infamiam . . . 25** (h. e. in scheda 25 aversa) *Expliciunt latinitates. incipiunt glossulae multifariae idem significantes. Ad hoc negotium non accedo. abstineo me hac re. non interuenio huic rei. non adiungo me negotio — vicem tibi reddam. beneficium idem repraesentabo. parem gratiam referam. aequabo te meritis. non me vinces beneficiis. rependam tibi meritum. compensabo gratiam. gratum me esse dices. non experieris ingratum. referam aequale meritum. beneficiis tuis inferior non ero. Expliciunt glossulae multif. incipiunt synonyma ciceronis ordine litterarum composita. Amor ardor — 31 ueru ensis gladius spatha sica mucro hasta lancea uacilla. Expliciunt feliciter synonyma ciceronis ordine litterarum composita. Item sunt idiomata nominatiua quae per genera efferuntur quae et ipsa ordine exponemus quae apud Latinos masculina apud grecos feminina sunt. Hic aduentus ἡ παρουσία accen-*

tus ἡ προσῳδία arcus ψαλῖς ἀψίς amplexus περιπλοκή — 31* *quae apud latinos masculina apud grecos neutralia. Hic articulus τὸ ἄρθρον* — 32 *quae apud latinos feminina apud grecos neutra haec aqua τὸ ὕδωρ* — 32* *quae apud latinos neutra apud grecos foemina. Hoc acumen ἡ ὀξύτης* — 33 *Verba actiua quae passiuu uoce primi ordinis efferuntur in quibus etiam quaedam communi sunt. Adulor latus sum. auersor satus sum. aemulor latus sum. aesculor latus sum καλκολογῶ (l. χαλκολογῶ)* — 33* *II ordinis — Tertii ordinis — IIII ordinis — Verba quae uoce tantum actiua proferuntur latine apud grecos autem passiuam significationem habent. Ardeo arsi. aresco. abstineo. abortum facio abortum feci. appareo* — *Verba quae declinatione actiua tum apud grecos quam apud latinos feruntur adfectum tamen habent passiuu. Deficio desum languesco* — *Verba quae praepositionibus additis aliam significationem habent moueo commoueo remoueo* — *Omnes partes orationis sunt hae. Nomen ὄνομα — muta littera ἄφωνον. Verba actiua coniugationis primae. Ausculto* — 34* *coniugationis II — coniugationis III — 35 coniugationis IIII — Verba quae media appellantur. Adloquor adulor* — *Haec uerba IIII coniugationum sine praepositionibus adnotauimus. nam sunt quaedam quae adiectis praepositionibus aliam significationem habent quae idcirco non adnotauimus ut studentibus labor adiectus incunditatem aliquam in requirendo habere uideatur. ceterum exempli gratia unum et item alterum interponamus. Duco ἄγω ἔλκω abduco ἀπάγω deduco καθίστημι* — *interuenio συντυγχάνω finit. deo gratias amen amen amen. Incip̄. latinitat̄. ardua res anima tua quod cupit antiquae uetustatis instar. et haec quidem quae ultimo loco posui scripta sunt in extrema pagina schedae 35, cuius pars aversa scriptura uacat. restat ut dicatur de quattuor membranis quae ultimum locum in codice occupant. in iis autem, si ordinem qui nunc est sequeris, scripta sunt haec: 36 De alcmanio. alcmanium constat dimetro hypercatalecto — magis probabis si tibi usu scribendi prelium uoluptatis exsoluat. MARI SERUI GRAMMATICI DE CENTUM METRIS FELICITER expli. (Serv. de cent. metr. p. 1822, 2—1826, 32 ed. Putsch). paucorum versuum spatium in extrema pagina relictum est. 36* Incipit lib. V de hidiomatibus. Hidiomata quae sunt nostri sermonis — fuit haec res (Charis. p. 291—294, 12). 37 Accusū casus. Ordior hanc — puteo stercus et stercore. Item sunt hidiomata nomin.. quae per genera efferuntur diuersa id est apud graecos alterius sunt generis et alterius apud latinos quae sunt satis pauca et per alphabeti ordinem digesta quae nos quasi non necessaria nunc praetermississe lector agnoscat. sed in alio loco eo quo digesta sunt ordine a nobis transcripta reperiet. incip̄ n̄c pl' Secun̄ diffē uerbō et nominū, h. e. 'incipiunt nunc plura secundum differentiam uerborum et nominum', non ut olim editum est, 'incipiunt nunc Plinii Secundi differentiae uerborum et nominum' (Charis. p. 294, 12—296). iterum paucorum versuum spatium in extrema pagina relictum est. 37* Inter ullionem*

Cambridge University Press

978-1-108-00636-1 - Grammatici Latini, Volume 1

Edited by Heinrich Keil

Frontmatter

[More information](#)

et vindictam. ultio vindicat factum — itaque illud uectigale hoc honoratum est (Corn. Front. de different. vocabul. p. 2191—2194, 38). 38 *De saturnio. sunt item saturnii — stagna capaeis uiscere auerni* (Charis. p. 258—290). dimidia fere schedae parte abscisa alterum versuum comma, quod finem capitis cuius extrema uerba quae restant posui continebat, praeter paucas membranarum lacinias deletum est. in illis tamen laciniis haec adparuerunt: *Albino seruius grammaticus. tibi hunc.* quibus uerbis Servii libellus de centum metris (p. 1815 ed. Putsch) indicatur. ad eundem librum pertinent quae in 38* scripta sunt, e quibus cum prius comma eodem damno praeter paucas litteras deletum sit, in altero habentur haec: *De hipponactio. hipponactium constat tetrametro catalectico — fuge moenia iam telamoniade* (Serv. de cent. metr. p. 2819, 46—2822, 1). 39 *Pedale et pedule — inter uictimam et hostiam. uictima maior est hostia minor* (Corn. Front. de diff. vocab. p. 2194, 39—2204, 25). haec igitur, quae ita ut nunc in codice se excipiunt indicavi, si quis paullo accuratius examinaverit, facile perspiciet ordinem schedarum errore in conligandis membranarum commisso turbatum olim fuisse hunc ut schedis 36 et 37 inter 38 et 39 (nam ita membranae inter se cohaerent) interpositis sic se exciperent singulae schedae, 38 36 37 39. itaque primum posita sunt duo capita de versu Saturnio et de rhythmo (38); sequitur Servii de centum metris libellus (38. 36); eum autem quintus liber Charisii (36*. 37) excipit; huic denique subicitur Frontonis qui dicitur liber de differentiis (37*. 39). in qua quidem conpage cum ita omnia et argumenti et schedarum continuitate inter se cohaereant ut nihil deesse adpareat, sequitur illas quattuor schedas interna esse paria quaternionis, cuius paria externa perierunt. atqui tertium quaternionem in libri quarti Charisii capite sexto, quod inscribitur de lectione, terminari diximus. post quem locum quae scripta erant usque ad eum qui est de idiomatibus, a quo quinti libri initium factum est in scheda 36*, ea in indice capitulorum in fronte codicis posito indicata sunt ita, *de accentu et posituris, de discretionem, de pronuntiatione, de modulatione, de continuatione, de separatione, de mora, de distinctione, de subdistinctione, de rhythmo, de metri versificatione, de basi, de pedibus, de versibus, de metris.* his titulis quantum membranarum spatium tribuendum sit quamquam certo iudicari nequit, tamen parum credibile est integrum quaternionem vel hoc amplius etiam periisse. quare eo potius adducimur ut illam conpagem cuius duo schedarum paria interiora superesse, exteriora item duo periisse demonstravimus tertio quaternioni subiectam et quarto loco positam fuisse dicamus. unde simul illud consequitur, undecim membranas de quibus antea diximus olim post quartum quaternionem positas extremum codicis locum obtinuisse. ergo quarti quaternionis schedae duae quae in initio perierunt, item tertia, cuius dimidia pars relicta est, et quartae sche-

PRAEFATIO

XIII

dae pagina prior respondent iis quae ex indice capitulorum supra adscriptissimus. sed quod in quinto libro se instituisse dicit librarius iis quae capiti de idiomatibus verborum subscripsit, ut utilitatem potius rerum, quam scilicet ipse fore existimabat, quam fidem describendi secutus a prisco exemplari recederet, idem in quarto libro factum esse videtur. nam sive omnia quae in eo libro de versibus et metris a Charisio disputata erant transcripsit sive quaedam tamquam minus necessaria ibi quoque praetermisit, in fine libri libellum Servii grammatici de centum metris, qui usui discentium in primis adcommodatus erat, addidit. ne quis enim id ab ipso grammatico ita institutum esse existimet, multa quidem Charisius ab aliis grammaticis petita in suos libros recepit; Servii tamen librum, ni fallor, nec potuit recipere nec integrum, ita ut in codice factum est, recepisset. huic librarius subiecturus erat quintum Charisii librum. cuius cum partem priorem, quae est de idiomatibus verborum, in duabus paginis quae sequebantur transcripsisset, reliquis quasi non necessariis, ut ait, omissis primum quidem finem scribendi fecisse videtur, si quidem quae proxime secuntur in ista adnotatione non eodem tempore scripta esse videntur; deinde vero in quintae schedae pagina altera et in sexta scheda plura de differentiis verborum et nominum scripsit. atque de his quidem video dubitari posse utrum a Charisio, qui in fine universi operis, si modo fides habenda est indici titulorum, ea de re dixerat, an ab alio auctore petita sint. quamquam ab illo quidem, quae est eius disserendi ratio, aliam sane eamque aliquanto doctiorem disputationem de tali argumento expectabamus. non magis constat quid in duabus schedis quae post haec perierunt scriptum fuerit. sed quae in ultimo membranarum fasciculo scripta sunt ea non videntur omnino a Charisio aliena esse. qua de re certius, opinor, iudicari poterat, nisi index titulorum is de quo saepius diximus, quem ducem in hoc genere sequi par erat, in extremis verbis aut minus diligenter transcriptus aut membranarum iactura truncatus esset. nam quinti certe libri initium perverse ab editoribus indicatum prorsus omissum est. quo fit ut quam fidem habeant ultimi tituli iam non satis intellegatur. illud constat, idiomata nominativa vel potius nominum quae per genera efferuntur, quae post synonyma Ciceronis posita in scheda 32 sqq. supra indicavimus, haec ipsa idiomata esse quae in quinto libro praetermissa alio loco a se transcripta esse dixerat librarius. tametsi in tanta librarii licentia, qua in fine operis usus est, ne haec quidem integra ex Charisii libro transcripta sed vel excerpta vel cum alienis mixta atque inmutata esse existimo.

Haec habui quae de pristina codicis forma deque librorum Charisii conditione quae nunc est dicerem. quae idcirco uberius fuerunt exponenda, ut praeter minores quidem plurimarum membranarum

lacunas et quattuor schedas quae in quarto quaternione perierunt nihil deesse in codice eaque quae in extrema libri parte scripta sunt non omnino quidem aliena a Charisio, sed negligentia librarii et mixta cum alienis et varie mutata atque a genuina forma deflexa esse demonstrarem. itaque Servii quidem librum et commentarium de differentiis vocabulorum consulto omisi, alterum, quia utique a Charisii libris alienus est, alterum, quia, si forte de quinto libro exceptus esset, tamen non satis causae esse videbatur cur nunc editus a reliquis eius generis commentariis, quos alii loco destinavimus, disiungeretur. contra dictionum formulae in extremo codice congestae, quarum aliquam partem Charisio deberi probabile est, suo quodam iure sibi locum in editione Charisii vindicabant. verum tamen haec omnia vel propterea necessario mihi omittenda fuerunt, quia neque adhuc edita a quoquam sunt neque mihi, cum reliquam codicis partem Neapoli cum editis exemplaribus contulissem, ad haec describenda otium sufficiebat*). his igitur quae aut ratione ductus aut necessitate coactus praeterii exceptis reliquam libri partem quam accuratissime fieri poterat excussi. nam in tanta vetustate codicis, cuius fidem raro aliorum librorum auctoritate sublevare liceret, nihil tam leve esse existimavi quod in scripturae discrepantia omittendum esset. qua in re magnam difficultatem in primis parabant lacunae membranarum per universum codicem, ut supra dixi, propagatae. nam ut res taedii plena erat quid quoque loco in membranarum corrosis legeretur acriter oculis dispicere, ita in primis difficile quantus litterarum numerus in scriptura deesset vel certo definire vel accurate indicare, praesertim in eo scribendi genere quod et compendiis abundaret neque in omnibus versibus vel paginis satis aequaliter curreret. nec alia ratio tutior esse visa est quam ut versus lacunosi ita e codice describerentur ut litteris quae in singulis versibus vel ante vel post defectum scripturae adpaerent accurate, sicut suum quaeque locum in laceris membranarum obtineret, dispositis et figurae et spatia lacunarum significarentur. itaque, ut quae esset conditio membranarum ubique certo intellegi posset, prima unius cuiusque versuum commatis vocabula una cum numeris quaternionum schedarum paginarum anteposita *N* littera, quod signum esse codicis volui, in imis marginibus adnotavi; eodemque loco, siquid per conplures versus in scriptura periit, totos versus eo quem dixi modo transcriptos eadem littera anteposita exhibui. sed ut certis finibus uni cuique versui constitutis scriptura

*) Sero aliquam partem ex his accepi. nam Georgius Thilo enim alia quaedam quae maxime digna esse memoria ei visa sunt (pleraque enim in vili argumento versantur) tum ea quae de idiomatibus nominum supra indicavi a se descripta ad me tramisit. inde video aliquanto pleniorum edi potuisse indicem nominum in excerptis Bobiensibus p. 551 exhibitum. sed haec quoniam suo loco edere iam non licuit, in aliud tempus differre quam nunc supplementi instar adicere malui.

PRAEFATIO

XV

contineretur, fieri non potuit quin notae compendiorum quae in codice sunt, quod eius fieri posset, exprimerentur. quarum notarum quid quaeque significet, etiamsi quaedam, ut fit, minus accurate expressae sunt, tamen, quoniam satis ex illis quae quovis loco exhibitae sunt puto intellegi posse, non videtur hoc loco exponendum esse. quae maxime in hoc genere memorabilia sunt composuit Pertzus l. c. p. 72. praeterea, si quae minus certo in codice mihi adparebant, litteris inclinatis expressa sunt. eodem litterarum genere ubi in ipsa continuitate verborum usus sum, ea quae praeter fidem codicis addita sunt indicari volui. nam ne iterum molestiam crearent lacunae in adnotatione indicatae, ea quae deesse videbantur, si modo cum aliqua probabilitate suppleri defectus poterat, interposui. quae quidem supplementa ut non tam quid scriptum fuerit a grammatico quam quid scribi potuerit ostendunt, ita, si quando minus probabiliter facta sunt, eum legentibus usum praestabunt, ut quot fere litterae, quarum numerus ubique servatus est, mihi periisse videantur facili negotio perspiciatur. si quando, id quod raro accidit, nullo modo probabiliter restitui verba scriptoris poterant, punctis interpositis numerum litterarum quae interciderunt exaequavi.

Sed in reparando codicis damno omittenda non fuit princeps editio Charisii ex hoc ipso codice tum cum quibusdam in locis plenior adparebat scriptura expressa. eius editionis, quae est formae maximae vel in folio, hic est titulus, ‘Fl. Sosipatri Charisii, natione Campani, Grammatici vetustissimi, Institutionum Grammaticarum Libri Quinque, ab A. Iano Parrhasio olim inuenti, ac nunc primum a Io. Pierio Cyminio Iani auditore, in gratiam adulescentium Cosentinorum editi’. in scheda 108 ante indicem rerum et verborum in fine libri positum leguntur haec, ‘Impressum est hoc Charisii de grammatica opus Neapoli apud Ioannem Sulsbacchium Hagenouensem Germanum, anno ab orbe redempto, M. D. XXXII. XI. Kalend. Febr. regnante Augustissimo Caesare Karolo eius nominis Quinto. cum priuilegiis Caesaris et Pont. Max.’ Pierius Cyminius, qui huic editioni praefuit, bis a se descriptum esse codicem Charisii ait, primum vivo Parrhasio, deinde illo apographo amisso post Parrhasii mortem, cum a duobus eius ex fratre filiis, priusquam hereditas ad Seripandum perveniret, librum iterum transcribendum accepisset. de conditione autem codicis ita queritur in epistula nuncupatoria ad Coriolanum Martyranum data, ‘Sed reuocandus est orationis fluxus ad Charisium, Is est multis ut uides in locis mutilatus, quod accidere necesse fuit vetustatis et temporis iniuria, uerum hoc me minime ab editione deterruit, quum uiderem me id, non sine clarissimo exemplo fecisse. Nam et Attilium Fortunatianum, Donatianumque *εἰ γνήσιον ἐστὶν*, et Caesii Bassi opera cum Probi institutis (sic enim liber inscribitur) Parrhasius quum Mediolani bonas literas profiteretur

tinearum iniuria pene corrosa, uelut e postliminio mortis in lucem reduxit. Quae igitur hoc signo * notata uidebis, non integra describi potuisse ex antiquissimo Iani codice certissime scias, multa enim erant iam oblitterata, adeo ut ne uestigia quidem elementorum extarent'. quamquam igitur membranas tum quoque lacunis corruptas fuisse adparet, tamen principe editione cum codicis scriptura conlata saepe plura quam nunc adparent olim lecta fuisse intellexi. neque vero ea diligentia usus est Pierius ut ubique diligenter quae in codice scripta erant exhiberet. nam et in primo libro tria capita omisit, cum de tertio certe capite nunc quoque tantum supersit ut maxima pars probabiliter restitui possit, et in ceteris lacunis reliquias veteris scripturae quae mihi adparebant vel neglexit vel minus accurate descripsit vel omnino coniecturam potius quam oculorum aciem et describendi fidem secutus lacunas suo arbitrio supplevit. quo fit ut et exiguum sit principis editionis in hoc genere praesidium et suspecta fide ambiguum. itaque ut nec deesset quicquam de fide codicis nec diutius coniecturis mixta ferrentur ea quae certo testimonio tradita sunt, versibus lacunosus e codice transcriptis adnotationem subicere placuit, qua principis editionis discrepantia, quae quidem ad lacunas pertinet, si modo plura quam quae in codicis scriptura habentur ibi leguntur, referretur. praeterea ubi meliore codicis conditione usus est Pierius in principio adnotationis ea de re monui. in supplementis autem lacunarum eam legem secutus sum ut quae ex principe editione recepta essent, ubicumque pleniore scriptura usus esse videbatur editor, pariter atque ea quae codicis fide niterentur haberem.

Non maiorem utilitatem quam princeps editio attulerunt duo codicis apographa sexto decimo saeculo facta, quae una cum ipso codice in bibliotheca Borbonica seruantur numeris inscripta IV B 9 et IV B 10. ea enim cum inter se plane consentiant, ita ut id quod priore loco dixi e posteriore, quod pleniorum interdum scripturam exhibet, descriptum esse videatur, tum lacunas (nam de reliquis non quaesivi) eodem fere modo atque princeps editio indicatas habent. quare altero quidem prorsus neglecto ex posteriore apographo pauca quaedam in initio libri adnotavi et in duobus libri quarti capitibus quae in principe editione omissa sunt eiusdem libri discrepantiam adieci, in reliquis vero omisi.

Ad Neapolitanum codicem, quo uno omnia quae ex arte grammatica Charisii aetatem tulerunt continentur, in libri secundi parte postrema et in tertio libro accedit fragmentum codicis Parisini 7560, olim Colbertini 4827. qui liber est membranaceus formae oblongae saeculo undecimo, ut videtur, scriptus. continet autem post Charisii partem eam quam dixi (224, 24 *Coniunctio est* — 264, 16 *inputandum est*) artem grammaticam de octo partibus orationis, Prisciani de nomine pronomine et verbo librum, commentarium de

PRAEFATIO

xvii

pronomine et verbo, Servii de ultimis syllabis librum, de litteris, de generibus nominum, Phocae artem grammaticam. ex his ea quae ad Charisium pertinent eadem manu atque reliqua in primis schedis novem scripta sunt, nulla inscriptione vel iis indiciis quibus initia codicum ornari solent significata. quamquam igitur aliud detrimenti indicium non praebent membranae, tamen non nullae schedae, quibus quae de reliquis partibus orationis in primo et secundo libro a Charisio tradita sunt similiter comprehensa fuerint, deesse videntur, eaque causa fuit cur fragmentum codicis esse dicerem. scriptura libri ita cum Neapolitano consentit ut, cum obiter rem iudicanti ex eo ipso Parisinus descriptus esse videri possit, habeat tamen quae rectius ex communi utriusque archetypo servata esse adpareat. cuius rei unum luculentissimum exemplum adferre sufficit supplementum quod in fragmento Calvi 229, 9 sqq. praestitit: cf. praeterea 224, 27. 233, 11. 236, 30. 248, 19. verum tamen ut exiguus eius libri usus esset insignis neglegentia effecit librarii. nam non solum omnia vitiosissime scripta et foedis erroribus inquinata sed complura etiam praevio consilio omissa sunt. post ea enim quae de coniunctione et de praepositione vitiose quidem, at plene tamen transcripta sunt in illis quae de interiectione a Iulio Romano excepta secuntur titulos tantum interiectionum breviter rettulit librarius, exempla scriptorum quae adscripta sunt prorsus neglexit, deinde in tertio libro ad maiorem fidem se revocavit, sed in fine libri iterum plurima omisit. in tanta igitur libri depravatione ne cum summa molestia, usu autem nullo, scripturae vitia exscriberem, eam rationem secutus sum ut ea tantum quae aliquam utilitatem habere viderentur adnotarem, reliqua omitterem. quare de his dumtaxat quae quem ad modum in codice legerentur ipsis verbis adpositis indicatum est certum esse iudicium volui, de reliquis vero in quibus nihil adnotatum est nullam ex silentio coniecturam capi, praeter illam quidem, nihil quod memoria dignum sit in eo libro inveniri.

Alia emendationis praesidia studiis recentium grammaticorum, qui inde ab octavo fere saeculo libros Charisii exscripserunt, parata sunt. nam cum excitato in Francorum imperio Latinae linguae studio et veteres grammatici acrius tractarentur et novi libri, quibus vel discentium vel docentium usui consuleretur, a multis componerentur, in eorum scriptorum numero qui tum maxime tractabantur fuit Charisius. quo factum est ut in grammaticis libris illo tempore confectis multa e Charisii arte vel descripta vel in brevioram formam redacta reciperentur. quae quia aliter ab aliis constituta sunt, nominibus codicum quibus debentur adpositis excerpta appellare consuevi. e quibus excerptis primum locum tenent ea quae in analectis grammaticis ab Eichenfeldo et Endlichero Vindobonae a. 1837 editis p. 75—124 e codice Vindobonensi 16 saeculo septimo vel ineunte

octavo, ut illis visum est, scripto exhibita sunt, ipse, propterea quod Bobii scriptus esse dicitur codex, Bobiensia excerpta dixi. codicem accurate descripsit Endlicherus catal. cod. philol. Latin. bibl. Palat. Vindob. p. 215 sqq. (cod. 322). fuit autem olim Parthasii, post cuius mortem cum Neapolim translatus esset, iisdem excerptis adscripto falso nomine Sacerdotis, cuius artium grammaticarum libri duo in eodem codice leguntur, usus est Hieronymus Columna Enn. fragm. p. 203. postea quem ad modum Vindobonam ablatum sit docet Kollarius in Lambec. commun. bibl. Caesar. Vindob. I p. 764. in eo igitur libro quae de nomine et pronomine et verbo scripta sunt f. 142—155 omnia fere e Charisii arte excerpta sunt. atque cum eodem loco haec, ut dixi, eodemque fere tempore quo Neapolitanus codex scripta sint, idem archetypum quod in illo expressum est videtur is qui excerpta composuit secutus esse. sed quoniam in universo hoc genere non accurata describendi fide uti solebant librarii, non solum his quae in Neapolitano codice corrupta fuerunt opem attulit Vindobonensis liber, sed praeter ea etiam quae ad Charisium emendandum adhibui quaedam praebuit quae ita a Neapolitani scriptura recedunt ut neque adnotatione comprehendi satis commode neque prorsus omitti potuerint. quare non veritus molestam saepe eorundem verborum repetitionem integra excerpta in fine huius voluminis repetivi.

His aetate paria sed genere diversa sunt Parisina excerpta e codice Parisino 7530, qui saeculo octavo scriptus est, deprompta. in eo enim f. 80*—123* inter varios libros grammaticos, quorum indicem a me confectum exhibuit Ecksteinus in anecdotis Parisinis rhetoricis Halis a. 1852 editis p. III sqq., legitur ars grammatica a Charisio Diomede Prisciano excerpta. cuius artis summa est haec. post brevem grammaticae definitionem maximam partem a Diomede 426, 23 sqq. petitam sequitur expositio nominis, et primum quidem secundum Diomedem f. 80* *Nomen est* — 82* *ubi contionantur* (p. 320, 11—328, 11). deinde a Prisciano receptus est liber tertius et secundi pars, *Comparativum est* — f. 99 *derivativum* (Prisc. I p. 82, 2—116, 2. 56, 28—59, 10). secuntur excerpta Charisii, *Ebria generis est communis. saturnalium et saturnaliorum veteres dicebant* — f. 104* *Sed particula d littera terminanda est. sed enim antiqui pro sed ponebant demptaque nouissima parte litterata inmuta mutari non patitur similiter sat pro satis* (p. 52, 11—112, 7). *Tores pro torques pomponitus dixit* — *Uolucres non uolucer ait plenius dici debere* (p. 145, 29. 147, 9). *Prime declinationis nominum veteres soliti erant ... dativum per ai ut haec aula huius aulas huic aulai* — f. 105* *Nutrix solum nomen una syllaba minor ab eo est unde oritur quod nutritur* (p. 18, 17—44, 8). de pronomine commentarius membranarum iactura, ut videtur, in codice truncatus est. restat autem finis commentarii a Pompeio

Cambridge University Press

978-1-108-00636-1 - Grammatici Latini, Volume 1

Edited by Heinrich Keil

Frontmatter

[More information](#)

PRAEFATIO

XIX

grammatico p. 248—261 ed. Lind. sumptus ita, f. 106 *nihil possumus dicere nisi magis demonstratiuum* — f. 106* *quoniam nomina sunt sed pronomina. finit.* secuntur de verbo primum pauca a Charisio deprompta, f. 106* *Acceo aces acui et accuo acuis acui* — f. 107 *deest enim se ut sit uolutans se. similiter praecipitans traxit omnia deest enim se ut sit praecipitans se* (p. 247, 22—262, 24); deinde conplura a Diomedede descripta sunt, *De ordinatione uerbi id est temporum iunctione. Qualitas uerborum quibus tempora copulata sermone conectuntur* — f. 111 *putitur et de aliis quoque diuersa repperiuntur exempla* (p. 388, 10—400, 22). haec excipit Prisciani libri duodeuicesimi pars § 55—126, *De ordinatione uerbi. Infinitiuum* — f. 117 *posuit.* quae restant de aduerbio, de participio, de coniunctione, de praepositione, de interiectione, ea partim ex Diomedis partim ex Charisii disputationibus petita sunt. atque ut in his ita in iis quae antecedunt, ubi Diomedem sequitur scriptor, integra fere uerba repetiuit, in Charisio breuitatem secutus omnia paucioribus uerbis complexus est. itaque ea quae aliquam vim habere uidebantur ad scripturam emendandam adscripsi. quibus delibatis non erat cur reliqua ederentur, praesertim cum et neglegenter a scriptore composita et uitiose scripta sint omnia.

Aliud excerptorum genus ex tribus codicibus sumpsit, uno Bernensi, altero Leidensi, tertio Sanctamandino. e quibus codex Bernensis 123 formae maximae saeculo decimo scriptus, olim Floriacensis, continet libros grammaticos recenti aeuo compositos quinque hos: f. 1—31 de litteris, de syllabis, de accentibus, de posituris, de octo partibus orationis, *est apud latinum unde latinitas orta est maior populus — ut a de deorsum et a super sursum. finit de praepositionibus.* nam expositio interiectionis, quae sequi debebat, ommissa est. initium autem libri uno membranarum quaternione perditio interiit. recenti manu in prima pagina addita est inscriptio CLEMENTIS SCOTI LIBER DE PARTIBVS ORATIONIS. f. 31—53 eiusdem argumenti liber 'lege interrogationis ex Donati arte promulgata' conscriptus. f. 53—78 Alcuini de arte grammatica liber. f. 78—117 commentarius de nomine et pronomine maximam partem a Donato Isidoro Augustino Consentio Prisciano sublatus. f. 117 de partibus orationis — 122 *inde agnosco quia tertia correpta est et infinitiuo modo antepe*, ubi reliqua abscisis aliquot membranarum in fine codicis perierunt. codex Leidensis, qui est inter Vossianos formae quadratae numero tricesimus tertius, diuersis membranarum fasciculis ex conpluribus codicibus 'olim decerptis compositus est. e quibus unus quaternio f. 75—82 commentarium de quattuor partibus orationis, de aduerbio coniunctione praepositione interiectione, saeculo decimo scriptum continet ita, f. 75 *Incipit de aduerbio. Aduerbium est pars orationis* — f. 81* *nam diximus accentus solidis debere dari partibus orationum interiectio autem confusa est*

b*

sono. finit. addita sunt in eadem pagina pauca de ordine partium orationis. nam in una scheda quae de eo quaternione restat alia quaedam diversi argumenti scripta sunt, ita ut illae membranae olim in fine codicis alicuius positae fuisse videantur, ante eas autem reliquarum partium orationis enarratio scripta fuerit. commentarii de adverbio partem aliquam edidit Fridericus Lindemannus in ineditorum Latinorum particula I Zittaviae a. 1832. de reliquis codicis partibus dixit idem in praefatione ad Prisciani opera minora p. XVIII sqq. ex eodem codice deprompta sunt excerpta quibus usus est Bondamus var. lect. p. 239. cōdex Sanctamandinus formae minoris, quam in octavo dicere consuevimus, saeculo nono vel decimo scriptus nunc est Valentianis in bibliotheca publica M. 7. 3. hunc Sanctamandinum propterea dixi, quod antiquissimos eius bibliothecae codices ex monasterio S. Amandi Elnonensis in istam civitatem translatos esse constat: cf. Bethmann archiv. societ. hist. Germ. antiq. VIII p. 95. eo continentur haec: f. 1—68 Albini in Priscianum libri duo, *Incipiunt capitula libri primi. Definitio orationis* etc. *Albini in Priscianum incipit liber primus. Definitio orationis et quid sit proprium nominis quid verbi. Oratio est ordinatio dictionum congruam sententiam perfectamque demonstrans — neque unum assem praestat ille egenti nec hic abnegat petenti aliquid prorsus quod potest et decet.* f. 69—115 commentarius in Donatum, *Incipit de partibus orationis. Donatus artigraphus dicit partes orationis sunt VIII nomen pronomen verbum et ceterae — tux pax gratulantis heu dolentis ua optantis atateht fugientis. explicit de partibus orationis. Incipiunt pauca de barbarismis collecta de multis. Quid est barbarismus? Pompeius ostendit ita dicens — (de tropis) troia capta fuit. finit de arte Donati pleniter.* f. 116—134 *Incipiunt glossae de libris grammaticorum de littera et syllaba et accentu et posituris. Disciplina unde nomen accepit — (de modo impersonali) quod passio posteriores non habet actus. explicit.* f. 134—144 *Retractatio reciproce interrogatio vel responsio de pedum regulis aldhelmi. Expositis aenigmatum propositionibus et digesta metrorum melodia — e terra distare nubes de quibus funduntur.* f. 144—148 *Incipit conlatio de generibus metrorum. Quot sunt genera metrorum principalia — bona iustis sua semper deus affert. item bona iustis deus affert.* f. 148 sqq. *ars mauri seruii grammatici de centum metris.* ex his igitur codicibus quae ad emendationem Charisii adhibui, ea deprompta sunt ex arte grammatica quae in Sanctamandino codice post Albini libros posita, quia disserendi ordinem a Donato institutum sequitur ‘de Donato’ scripta esse dicitur, in Bernensi autem codice nescio qua auctoritate*) Clementis Scoti nomine inscripta est, in Leidensi denique

*) Clementem quandam una cum Alcuino ex Hibernia ad Karolum Magnum venisse et pueris erudiendis scholisque instituendis in Gallia operam dedisse scribit monachus Sangallensis de gestis Karoli Magni monum. Germ. ed. Pertz II p. 731. eum quo iure Claudium Clementem dicat Fabricius bibl. med. et inf. Latin. p. 1082 sq. vel qua auc-

PRAEFATIO

XXI

eius fragmenta de quattuor extremis partibus orationis extant. ita enim inter se tres codices quos dixi consentiunt ut, quamvis multa diverso modo comprehensa sint, tamen unum eundemque librum esse adpareat. qui liber ea re maxime prae reliquis huius modi libris memorabilis est, quod scriptor plurima artis praecepta ex antiquiorum grammaticorum libris collecta interpositis auctorum nominibus rettulit. neque tamen illi ad reconditos antiquitatis fontes aditus patebat, sed eorum grammaticorum quorum tum maxime libri lectitabantur, Cominiani Consentii Donati Isidori Pompeii Prisciani

toritate usus sit is qui Clementis nomen Bernensi codici adscripsit, quam inscriptionem probaverunt Putschius in praefatione ad gramm. Lat. auct. et Sinnerus catal. cod. manuscript. bibl. Bern. I p. 343 sqq., mihi non constat. est quidem in eodem Leidensi codice qui eius libri de quo dicimus partem postremam continet Clementis de barbarismo ceterisque vitii commentarius huic arti grammaticae similis, f. 159 *Incipiunt pauca de barbarismo collecta de multis. Quid est barbarismus. Pompeius — quia postea Troia capta fuit. finit expositio Clementis.* qui commentarius ipse quoque excerptis antiquorum grammaticorum, Victorini Donati Eutythii Consentii Pompeii Hieronymi Isidori Seregii Maximiani (nam Cominiani nomen non inveni), compositus est. idem porro in Sanctamandino codice, omissis tamen Clementis nomine, priori libro subiectus est. sed ne ex his quidem certam de auctore libri coniecturam capi posse vel inde adparet, quod, cum ex diversis codicibus petitaer sint Leidensis codicis membranae, ad alium codicem olim Clementis commentarius, ad alium ars grammatica de qua dicimus pertinebat. denique in hac quaestione de Clemente grammatico non omittendus est Bambergensis codex saeculo decimo scriptus, de quo dixit laeckius in descriptione bibliothecae Bambergensis I p. 57. eo enim continetur Clementis liber ab illis quidem excerptis quae ad Charisium pertinent diversus, sed extrema parte, quae est de barbarismo ceterisque vitii sermonis, cum commentario illo cuius mentionem fecimus consentiens, f. 1 *In dei nomine pauca incipiunt de philosophia et partibus eius — f. 70 Troia capta fuit. finit.* paucis de philosophia deque artium genere diverso praemissis reliqua in grammatica exponenda versantur ei autem libro subiecti sunt versus hi, quibus nomen suum auctor profitetur,

*pauca tibi, Caesar, de multis, magne Hlothari,
 iure tuus Clemens saepe legenda dedi,
 cetera quo valeas per te penetrare sophiae
 calle velut veterum scita profunda virum.
 namque prius pueri pascuntur ab ubere matrum
 lactis et irrigui nectaris hausta petunt;
 sed cum vita solers pubet, cum membra vigescunt,
 tunc solidos solida educat esca viros.
 sic tuus eximius crescat dum sensus et aetus,
 dogmata distribuam tunc potiora tibi.
 his tamen his gradibus paulatim, Caesar, inornis
 culmina doctrinae scandere summa potes.
 indolis ut surgunt carnalis pondera quantum
 surgat et ingenium mentis in arce tuum.
 non etenim vitis statim fert fronde corymbos
 nec latices pingues fundit olivu suos,
 sed prius infigunt radices atque inde virescunt,
 floribus hinc redolent, post sua liba ferunt.*

Probi Seregii Vergilii, rarius etiam Augustini Eutychie Hieronymi Maximiani Paperini Victorini, excerpta posuit. quo fit ut, cum nihil, quod quidem alicuius momenti sit, praebeat, quod non idem ab aliis traditum sit, hoc fere eius libri usus contineatur, quod quaedam ad emendationem eorum librorum quibus usus est non inutilia praestat. et in Charisio quidem, a quo ea quae Cominiani nomen prae se ferunt petita sunt, ut maxime exoptata esse debebat novi testis auctoritas, ita graviter accidit illud, quod, quae erat illius aetatis consuetudo et eorum quorum usui prospiciebatur ratio, in levioribus fere rebus, definitionibus maxime vocabulorum et regulis tritissimis, omne scriptoris studium versabatur, ea vero quae ad usum antiquorum probandum pertinent plerumque omisit. nam in commentario de adverbio, in quo plura Cominiani excerpta quam in reliquis partibus extant, cum ea quae de vi adverbii deque diversis significationibus et generibus adverbiorum Charisius disputavit exscripsisset, ex locupletissima Iulii Romani disputatione nihil nisi indicem adverbiorum larga exemplorum copia, quae ab illo adposita erat, destitutum reliquit.

Eiusdem fere generis sunt ea quae, quia e Vaticano codice, qui inter codices bibliothecae Reginae Sueciae est 1442, deprompta sunt, Reginensia excerpta dixi. is codex autem, qui in membranarum formae maximae saeculo undecimo exeunte, ut mihi videbatur, scriptus est, duos continet libros, alterum de philosophia ita inscriptum, f. 1 *In dei nomine pauca incipiunt de philosophia et partibus* — f. 5 *horatius posuit linquimus insani ridentes praemia scribae. finit de philosophia*; alterum de octo partibus orationis ita, f. 5 *In dei nomine pauca de octo partibus orationis incipiunt. Omnibus octo latinitatis partium notitiam habere uolentibus ut sciant unde linguarum diversitas orta est — reliquae partes. finit de octo partibus orationis.* in posteriore codicis parte similiter atque in eo libro de quo ante diximus cum aliorum grammaticorum tum Cominiani excerpta congesta sunt. ex his pauca Cominiani nomine inscripta edidit Maius class. auct. V p. 150, plura a Vergilio grammatico petita ad eius grammatici libros eodem volumine a se editos idem Maius adnotavit. auctorem autem libri quo iure Gainfredum Anglicum hominem, qui duodecimo saeculo clarus fuerit, dicat Maius ibid. p. XI et p. 18 nescio. mihi satis fuit et ex his excerptis et ex illis quae supra dixi ea quae ad emendationem Charisii pertinere videbantur adponere*).

*) In excerptis Cominiani, quibus multi olim usi esse videntur, non dubito quin facile angeri possit numerus codicum. mihi praeter eos de quibus dixi unus notus est Sangallensis 876, in quo anteposito Cominiani nomine quaedam de adverbio excerpta extant in librum de octo partibus orationis nono saeculo scriptum recepta. eiusdem autem generis fuisse puto eos libros in quibus integram Cominiani artem extitisse temere non

PRAEFATIO

XXIII

In parva parte operis usus sum codice Leidensi, qui inter Vossianos formae minoris est tricesimus septimus. in eo enim post commentarium Sergii de litteris et syllabis (*littera dicta est quasi legitura — arma virumque cano troiae anal. gramm. p. 473—488 ed. Vind.*) et brevem de soloecismo disputationem duo commentarii de tropis et de metaplasms leguntur f. 38—41, qui ita cum iis quae de eodem argumento in Charisii libro quarto scripta sunt p. 272—279, 21 consentiunt, ut, quamvis magna sit scriptorum de hoc loco similitudo, tamen ex his potissimum excerpti esse videantur. itaque in illis Leidensem codicem ad emendationem adhibui et discrepantiam scripturae, quae quidem digna memoria videbatur, adnotavi. praeterea quaedam scripturae supplementa mihi praebuerunt excerpta orthographica, ea quae Bedae nomine inscripta Putschius p. 2775 sqq. edidit. quorum excerptorum maxima pars in consuetudine infimae aetatis et usu Christianorum scriptorum explicando versatur; restant tamen multis locis antiquae eruditionis reliquiae, quae omnes fere Charisio, paucae Diomedii acceptae debentur. in iis autem quae inde adscripti duobus usus sum codicibus, altero Parisino 5730, de quo supra dictum est, altero Montepessulano H 306 saeculo nono

nulli crediderunt, alterum Alcuini versibus de bibliotheca Eboracensi apud Galeum hist. Brit. Saxon. Anglo-Dan. script. Oxon. a. 1691 I p. 730 indicatum,

artis grammaticae vel quid scripsere magistri,
 quid Probus atque Focas Donatus Priscianusve
 Servius Euticius Pompeius Comminianus

(cf. Hertz praef. Prisc. p. VIII); alterum quem in monasterio Centulensi (S. Richier en Picardie) olim fuisse narratur in chronico Centulensi edito a Dacherio spicil. vet. script., qui in Galliae bibliothecis delituerunt ed. nov. Paris. a. 1723 II p. 310 sqq. ibi enim anno 831 hi fuisse libri dicuntur, 'Donatus, Pompeius, Probus, de pedibus et syllabis, Priscianus, Comminianus, Servius, Victorinus Marius, Diomedes, Verus Longinus, Taduivus (Alcuinus?), Tullius Cicero Rhetoricorum libri II'. quamquam hos quidem si quis ipsius Charisii codices fuisse malit, non habeo quod opponam. certa res est de illo de quo olim fraudem fecit Goldastus. qui cum quaedam Cominiani nomine citavisset ad Paraenet. vet. p. 37, 'Cominianus vetus grammaticus, ordinis deinde deinceps tum ante post sic', eum habere integrum eius grammatici codicem multi crediderunt. in quibus fuit Helias Putschius, qui a. 1603 de illo codice haec ad Goldastum scripsit (vir. clar. et doct. ad Melch. Goldastum epist. ex bibliotheca Thülemari Francofurti et Spirae a. 1688 p. 101), 'nunc tuarum desiderium vix fero, ita me in spem locasti Comini-ni et Eutychetis — interim rogo te per Musas tuas Clariss. Du. transmittas illud opus ad me prima etiam occasione'. postea, cum librum non accepisset, facile eo se carere posse intellexit praef. in gramm. Lat. auct., 'Comminianum quem haecenus expectavi nondum accepi ab illo, qui se missurum sancte receperat. sed postea didici mala fide eundem in plerisque versari, adeo ut putem nihil illum habere praeter illa quae apud Clem. Scotum leguntur; inter quae nihil repperi quod non in Charisio legeram. supersedebimus ergo supervacaneo labore'. ni mirum iste usurpaverat Leidensem codicem, cuius partem eam quae Cominiani excerpta continet (ex diversis enim membranarum fasciculis librum compositum esse supra diximus) olim Goldasti fuisse testantur haec quae in scheda sexagesima prima adscripta sunt, 'ex bibliotheca Goldasti'.

scripto. similem usum praestitit libellus de generibus nominum, cuius maximam partem e Vindobonensi codice post Ovidii Halieutica et Gratii et Nemesiani Cynaegetica p. 74 sqq. primus edidit Hauptius a. 1838; integrum librum e Laonensi codice protulit Clericus in catalogo codicum Gallicorum (catalogue général des manuscrits des bibliothèques des départements) I p. 649 sqq. nam in eo libro quoque quae de antiquorum scriptorum usu adnotata sunt fere omnia Charisio debentur. semel vel bis mentionem feci fragmenti quod Donatiani nomine inscriptum ex codice Bobiensi Parrhasius edidit Mediolani a. 1504, e quo discrepantia scripturae, quae quidem memorabilis esse videbatur, adposita est p. 52 et 53. denique pauca e codice Lavantino 24, eo de quo analectorum grammaticorum editores Vindobonenses p. XXIV dixerunt, adscripsi. in eo codice enim extat ars grammatica saeculo octavo scripta, in qua quaedam e Charisii libris recepta esse inveni.

His libris igitur, de quibus dixi, ita usus sum ut Neapolitanus codex fundamentum esset recensionis eiusque scriptura, si quando minus diligenter habita esset, ex reliquis quantum fieri posset corrigeretur et suppleretur. et Bobiensia quidem excerpta et ea quae ex libello de generibus nominum et ex Donatiani fragmento recepta sunt ex editis exemplaribus descripsi, reliquorum libros manu scriptos ipse excussi. restat ut dicatur de codice Iani Dousae, quem et olim ad hunc grammaticum corrigendum adhibuerunt complures et ipse eo nomine aliquotiens memoravi. eius libri primum mentionem factam esse inveni a Paulo Merula, qui cum in Ennii annalium fragmentis a. 1595 editis non nulla veterum scriptorum fragmenta a Charisio citata aliter atque in editis exemplaribus tum legebantur proferret p. 53 187 237 424 626, haec se ex vestigiis antiqui libri, quem apud Ianum Dousam legisset, emendasse professus est. deinde Franciscus Dousa Iani filius in Lucilii satirarum reliquiis a. 1597 editis ea quae ex Lucilii satiris a Charisio citata sunt ex vetere codice, ut ait, partim ipse emendavit partim a patre emendata exhibuit: cf. not. in Lucil. sat. fragm. inc. 128 p. 106, fr. 150 p. 107, 110 p. 111, IX 7. 12 p. 123, XIX 10 p. 131. tum Helias Putschius, qui Charisii libros multo emendatioribus quam ante ferebantur edidit, eodem codice se usum esse dicit. ita enim scribit in praefatione in grammaticae Latinae auctores antiquos, Charisii libros se ex codice nobilissimo Iani Dousae infinitis locis auctos suppletos et emendatos edidisse. denique Petrus Bondamus varias scripturas ex illo libro descriptas, easdem quas Putschium quoque a B. Vulcanio accepisse et loco codicis usurpasse docet var. lect. p. 15, pretio sibi paravit et quaedam a Putschio praetermissa inde attulit var. lect. p. 13 sqq. 120 230 sqq. ipsius autem codicis quae esset ratio atque auctoritas frustra quaesivi. nam cum Leidenses, apud quos vel Vulcanii schedas vel ipsius Dousae excerpta

PRAEFATIO

XXV

extare speraveram, litteris adissem, nihil quod huc pertineret ibi superesse rescriptum est. itaque rursus ad ea quae cum Merula et Dousa et Bondamus de singulis locis adnotaverant tum per universam editionem novaverat Putschius redactus, quamquam plurima sane e codice manu scripto petita esse videbam, tamen, cum illi non ipsum veterem codicem quem dictitabant usurpavisse sed ex edito exemplo ad fidem codicis emendato sua hausisse viderentur, coniecturas doctorum virorum ita cum vetere scriptura mixtas esse intellexi ut unde quaeque profecta essent certo iudicari non posset. quare tam incertae auctoritatis libro ad veram lectionem constituendam nihil tribuendum esse putavi, praesertim cum ad ea quae ipse incorruptam codicum fidem secutus inveneram vix quicquam novi, quod quidem interpolationis suspitione vacaret, ex isto libro accedere viderem. ceterum quae maxime digna memoria esse videbantur adscriptis nominibus auctorum quorum fide nituntur in adnotatione exhibui. sed praeter opinionem accidit ut re peracta, cum iam formis litterarum hoc volumen grammaticorum exscriptum esset, novo subsidio parato egregie eius codicis notitia augetur. nam eodem fere tempore quo primum Dousae nomine codicem Charisii usurpatum esse supra dixi vel non multo ante Ioannes Cauchius Traiectinus novam grammatici editionem paraverat. qua de re Paulus Manutius ad Laevinum Torrentium scribit epist. V 4 p. 261 ed. Venet. a. 1595, duos Cauchii filios in Italia peregrinantes Charisii exemplum a patre emendatum ad se detulisse seque ut illud ederetur optare et ei rei operam daturum esse. et editio quidem Cauchii nescio quo casu omissa est, notas autem ineditas postea a Graevio emptas esse testimonio cognovi C. Burmanni Traiect. litterat. p. 82. hinc nata spes fore ut Heidelbergae, quo Graevii libros delatos esse constat, schedae reperirentur. itaque a Christiano Baehrio viro illustrissimo petivi ut ea de re quaereret et, quae est eius humanitas singularis, paucorum dierum spatio interiecto librum quem quaerebam accepi. est autem exemplum principis editionis cui discrepantia libri manu scripti ab ipso Cauchio, cuius se manum probe cognoscere conlatis aliis eiusdem Cauchii libris Baehrius adfirmabat, adscripta est. ex quo exemplo accuratiorem notitiam eius codicis de quo antea frustra quaesiveram peti posse statim intellexi. nam ita haec quae Cauchius adscripsit cum iis quae e Dousae libro excerpta feruntur consentiunt ut dubitari nequeat quin ex uno eodemque fonte omnia ducta sint. continebat autem ille codex quo usus est Cauchius maximam partem libri primi Charisii et librum secundum et tertium. nam in reliquis libris duobus nihil adnotatum est. et ex primo quidem libro, cuius index adpositis titulis et numeris schedarum subiectus est a Cauchio, aliis omissis, in alii ordine rerum mutato recepta erant haec, f. 1—74 *de extremitatibus nominum et diversis quaestionibus* — *sonus vocis admittit* (p. 50, 7—112, 12),

ubi p. 51, 21 adscripta est rubrica *de polysyllabis polysyllaborumque quaestionibus* et p. 94, 11 *περὶ ὀρθογραφίας*: f. 74—77 *de analogia et auctoritate*, quo titulo pauca tantum ex iis quae de analogia scripta sunt p. 116, 29—147, 16 excerpta fuerunt: f. 77—131 *de ordinibus nominum — reginum* (p. 18, 7—50, 6), ubi p. 42, 4 addita est rubrica *de monosyllabis et monosyllaborum quaestionibus* et p. 42, 22 *catholica uaga vel uaria*: f. 131—137 *de ablatiuo casu* usque ad finem libri p. 147, 17 sqq. neque tamen integram veteris cuiusdam codicis fidem ea quae adscripta sunt referunt. nam ne dicam non nullas coniecturas ab ipso Cauchio interpositas esse, quae quidem anteposita *f* littera satis a reliquis discretas sunt, ea quoque quae e codice petita esse dicuntur, quae partim in marginibus scripta sunt anteposito plerumque *al.*, partim in ipsam verborum continuitatem inlata, aperta quaedam coniecturae indicia continent. duobus rei exemplis perfungar. in Afranii fragmento 204, 1 citato cum in Neapolitano codice scriptum sit *R em lentus lente*, inde in Cauchiano libro factum est *Sextus Aemilius lente*: 244, 26 cum *posui et posui uel dix.* Neapolitanus praebat, inde factum est *posui et posui δίχα*. ne ordo quidem primi libri in Cauchiano codice mutatus, cum habeat quo se commendat comparanti ea quae grammaticus praefatus est 51, 18, ex vetere codice propagatus sed coniectura inductus esse videtur. ad quem ordinem defendendum 74, 8 pro *definitum est in superioribus* scriptum fuit *definietur in posterioribus* et 85, 18 et 87, 14 *definietur* pro *definitum est* et 88, 33 *dicetur in posterioribus* pro *dictum est in superioribus*. unde adparet non ipsum antiquum codicem sed apographum recenti aetate factum, id quod vel ex indice supra adscripto cuiusvis elucere puto, a Cauchio adhibitum fuisse. ac ne illud quidem constat, utrum uni codici omnia debeantur an ex diversis librorum excerptis conflata sint. sed quod antea de Putschio ceterisque qui Dousae copias usurpauerunt non sine aliqua dubitatione suspicabar, veterem quandam librum ab iis qui nunc noti sunt diversum iis praesto fuisse, id Cauchiano libro invento certo mihi constitit. nam cum pleraque ab iis quae mihi vel Neapolitanus codex vel excerpta reliquorum codicum praebuerunt non differant, alia coniectura, ut dixi, haud dubie novata sint, sunt tamen quaedam quae, quia neque ab illis peti neque coniectura inveniri potuerunt, alius codicis vestigia demonstrant. atque ni fallor, ipsum librum ex quo haec profecta sunt nobis indicat Ludovicus Carrio, qui in scholiis in Sallustii historiarum libros Lovanii a. 1564 scriptis et saepius postea in editis Sallustii exemplis repetitis (utor editione Thysii a. 1659) p. 441 de Sallustii fragmento a Charisio 107, 12 citato dicens ‘verba autem’ inquit ‘Carisii aliter vulgo, aliter in membranis, quarum usus, ut reliquarum Coloniensium omnium, mihi, dum in Ubiis essem, vir eruditione singulari et eximia humanitate Melchior Hittorpius libenter expensum ferebat.’ eiusdem libri

PRAEFATIO

XXVII

iterum mentionem fecit Carrio *ib.* p. 417, ubi Charisii verba 93, 24 sqq. ‘de veteri libro’ emendata exhibuit. ex hoc igitur codice descripta esse puto quaecumque in isto libro quem Cauchius et Dousa secuti sunt ex antiquiore memoria recepta fuerunt*). praeter hos Laevinus Torrentius, cuius manu conlatum cum manu scripto libro Charisium Lovanii in bibliotheca societatis Iesu extare narrat A. Fabricius *bibl. Lat.* I p. 782, eodem libro usus esse videtur, nisi potius Torrentii notae, de quibus nihil praeterea mihi constat, ex Cauchiano exemplo petita fuerint. his addi poterat quartus Andreas Schottus, qui in *Observationibus humanis* I 14 p. 19 sqq. ‘meliores nactus copiosioresque membranas’, ut ait, duo capita Charisii quae sunt de observationibus nominum et de monoptotis 30, 31–36, 16 edidit. verum haec ita plane cum Cauchii excerptis consentiunt ut non dubitem adfirmare ex iis ipsis sua hausisse Schottum, praesertim cum eum in aliis quoque scriptoribus copiis Cauchianis usum esse constet. videtur autem Coloniensis liber, quantum quidem nunc existimare licet, maxime Parisino 7560, cuius fragmento usus sum, similis fuisse. nam quaecumque ille ad supplendam scripturam Neapolitani codicis attulit in Cauchianis quoque excerptis inveniuntur. quare si vel ipsum librum inspicere licuisset vel ii qui olim inspererunt discrepantiam scripturae adnotare quam emendandi munere fungi maluissent, certius puto de quibusdam quae nunc persanari non potuerunt iudicari potuisse. in tam incerta vero traditae scripturae fide non ita multa inveni quae hac auctoritate vel corrigenda vel addenda viderentur, quae in fine huius voluminis composui. in his omissa sunt ea quae vel Putschii vel Dousae nomine antea a me relata erant. quae cum eadem ratione in Cauchiano libro scripta essent non maiore quam apud illos auctoritate, non erat cur iterum describerentur. quamquam pauca ex hoc genere, in quibus rectius ille communis fontis scripturam expressisse videbatur, recepi. erant praeterea alia quae vel nullius momenti esse videbantur vel ita comparata ut dubitari posset utrum e codice profecta an coniectura inducta essent. quo pertinet illud, quod in iis quae de observationibus nominum et de monoptotis p. 31, 25 sqq. scripta sunt Graecae glossae in Neapolitano modo additae modo omissae constanter adscriptae sunt, et in iis quae proxime secuntur de nominativis ad regulam redactis exempla nominum in en terminatorum 38, 9 et in es 40, 1 et in er 46, 2, cum pauca tantum adposita sint in Neapoli-

*) Hinc corrigendum quod subinde adnotavi Putschium ex iisdem excerptis quibus ipse usus sum lacunas supplevisse. quamquam de quibusdam etiam nunc dubito an ex his potius quam ex Carrionis libro recepta sint. velut ea quae 73, 20 a Putschio ex Parisinis excerptis addita esse propterea adnotavi, quod in miros quosdam errores viros doctos se induci passos esse vidi, cum ex Dousae codice restituta esse testetur Bondamus, tamen non leguntur in Cauchii excerptis.

tano, per universum litterarum ordinem deducta et Graecis glossis instructa sunt; itemque aliis locis, maxime in exemplis verborum quae in tertio libro sunt, Latinis vocabulis saepe adscripta est Graeca interpretatio. quae quidem omnia ut nullam utilitatem habent, si fide antiquitatis destituuntur, ita non dico omnino inventa a Cauchio, sed tamen ne integra quidem e codice recepta sunt. denique in supplementis lacunarum, quae maxime animum advertabant, quamquam quaedam haud contemnendae fidei repperi, tamen, cum ne in his quidem omnia e codice petita esse viderem, leviora quaedam, quae quem ad modum scriberentur nihil intererat, omisi. his igitur sine incommodo, opinor, omissis reliqua ita relata sunt ut et quae sit fides istius libri adpareat et quae ad emendationem Charisii pertinent recepta sint omnia. nam quae singulis tribuenda esset auctoritas et quo modo illis ad verba scriptoris restituenda utendum esset raro adnotandum esse videbatur.

Emendationi Charisii post Pierium Cyminium, qui manifesta quaedam vitia sustulit, primus operam dedit Georgius Fabricius, cuius editio facta est Basileae a. 1551. is autem ita principem editionem secutus est ut conlatis maxime iis quae de eodem argumento ab aliis grammaticis disputata sunt quaedam corrigeret coniectura interdum probabili, saepius nimia corrigendi licentia usus. sed praeter ea quae in impresso exemplari correctae sunt mihi praesto fuit exemplum principis editionis manu Fabricii novae editionis faciendae causa adnotatum, quod nunc regiae bibliothecae Dresdensis est. ex eo petita sunt quae ex 'notis manu scriptis' Fabricii adscripti. huius inventa retinuit Helias Putschius tum cum Charisium multis modis mutatum in Grammaticae Latinae auctoribus edidit. sed quaecumque ille post Fabricium novavit e codice Iani Dousae, de quo antea dictum est, recepit. nam ipse perpauca addidit. quo factum est ut praeter multa verissime ex vetere exemplari restituta alia item satis multa commenta temerarii correctoris reciperet. postremo Fridericus Lindemannus praeclaro emendationis praesidio instructus, Neapolitano codice a B. G. Niebuhrio excusso, in grammaticorum Latinorum volumine quarto Lipsiae a. 1840 Charisium edidit eique pro bonitate codicis, cuius copia facta fuit, salutarem sane operam praestitit. nam multa quae olim a Pierio omissa erant primus addidit, quae perperam a Fabricio et Putschio invecta erant removit, denique omnia ad auctoritatem libri manu scripti revocavit. sed idem cum his quae a Niebuhrio accuratissime exscripta fuerunt, ut adfirmari audivi ab iis qui eius excerpta viderunt, prudenter uti nesciret, neque emendationem corruptae scripturae magno opere adiuvit neque quid in codice scriptum esset satis accurate rettulit. ex quo siqui forte mirantur quod saepe a Lindemanni testimonio ea quae ipse in codice scripta esse dixi dissentiunt,

id mihi iure videor postulare posse ut mihi potius quam illi credant. atque etiam, ut omnem dubitationem tollerem, quoniam ambiguum saepe et incertum scripturae genus proclive esse ad errorem intellexi, eam curam adhibui ut quae aliter a me exhibita aliter in Lindemanni adnotatione scripta viderem iterum cum codice conferrem.

Diomedis grammatici quamvis multi hodie extent libri manu scripti, tamen tanta est eorum omnium similitudo ut quasi pro uno codice habendi sint. nam quod in his potissimum grammaticae artis scriptoribus saepe usu venit, ut uno exemplo ex antiquiore memoria ad posteritatem libri eorum propagarentur, idem Diomedii contigit. cuius unicum octavo saeculo supererat exemplar, quod cum proxima aetate saepius deinceps describeretur, crevit quidem numerus librorum, sed duravit per omnes satis manifestis vestigiis communis originis propinquitas. ex istis apographis autem tria nunc supersunt nec tempore quo scripta sunt nec loco, nisi me fallit species membranarum et litterarum, longe inter se diversa, quae sive ipsum priscum exemplum librarii expresserunt, sive alius aliud exemplum ex illo descriptum fideliter repetivit, proxime ab illo abesse videntur. sunt autem nono saeculo exeunte, ut videtur, in membranarum forma quadrata minore scripta. eorum librorum igitur unus est Parisinus 7494 (A), qui fuit olim Claudii Puteani, cuius nomen in initio libri adscriptum est. titulum codicis idem librarius qui reliqua scripsit ita in prima pagina indicavit, *DIOMEDIS CORPORIS HUIUS ATQUE | PROBI OPUS CLARE FORE LUCIDEQ. PATET | Diomedes de oratione et partibus orationis. et | de uario genere metrorum. libri. III. | Probi lib' I.* in altera eiusdem schedae pagina incipiunt libri Diomedis, qui schedis perscripti sunt centum et viginti duabus ita, *INCĒ PROLOGOS DIOMEDIS. Diomedes athanasio — consecuturum.* his in sequenti scheda viginti versus subiecti sunt maioribus litteris exarati,

*dum mundus centum redeuntes septies annos
 et decies forte felix expleverat octo,
 ex quo Christus Iesus secla beaverat ortu,
 bisenosque annos Francorum scepra*) teneres,
 hunc tibi, care deo Carole rex, scripserat Adam
 nempe tuus famulus librum devotus in urbe
 Wormatia, soboles Haynhardi, Alsatia felix
 est propria fecunda bono cui patria Baccho**);
 tuncque fuit scribens annorum certe triginta,
 quo scripsit servulus anno. tu, rex pie Carle,
 illi coenobium***) Masunvilare dedisti.
 hoc tibi regna dei solvant mercede perenni.*

*) *screpta* col. **) *bacho* cod. ***) *ilico enobium* cod.